

EREM,,

10)

JAS PARTES DISTRIBUTA.

Junc currunt, sistunt, nunc procedunt
 [iterum,
 equuntur illius semper sententiam.
 Iox, mox videbo novum miraculum:
 xire liberos, redire in carcerem?
 rit pol maximum portentum saeculi!¹
 ed audire longe rumorem videor....
 quid est? Vox est Eusebii....

Rector, veni!
 Res quae sententiam cunctorum su-
 [perat....
 uid est? Eamus.... Mentis quae tur-
 [batio!
 sa expectatio dolor est maximus....³

SCENA VI.

AMBROSIUS *solas*.

rum novitas, rerum quae varietas!
 no mane summa cum laetitia
 alacres ad tintinnabulum,
 illico suis de lectulis.
 cuncti bini, bini et taciti
 otius monachos dixeris.
 mutati prodigo maximo!
 cuncti divam litant hostiam,
 angeli quam trementes colunt.
 inister....

SCENA VII.

EBIUS, RECTOR *et* AMBROSIUS.

Dicis quid tecum, stupide?
 us tu! decebris usus qua licentia,
 hi des ut nomen non ordinarium?

ur.
clamat.

rediens.

SEPHUS Dr. FORNARI, *Sponsor.*

E. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA

QVIDQVID NON
 POSSIDET ARMIS
 RELLIGIONE
 TENET

C.DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...
Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Avezzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), Bre cia, CAIRO (in Aegypto), Canale, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gaffagnana, Centallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, Frascati, Frosinone, GENOVA, Grosseto, Lione, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovì, Monsampietr'angeli, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a) iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; b) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium duodecim; c) parsimoniae fovendae sub specie, annuo fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defrendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.*

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munita, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; b) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; c) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; d) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; e) exterios numeros negotiatur eorumque collybum exercet; f) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; g) res administrat tum conscientionum, tum privatorum nomine.*

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandum, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

iae in propriis aedibus
za S. Marcello)

d exteris civitates:

vezzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in o), Canale, Canelli, Carrù, Castelnuovo di Gar- I, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, MILANO, Mondovì, Monsampietrangelii, Mont- erolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Tar- DLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

ATIONES ET NEGOTIA.

i nomine accipit: a) iuxta quotidianas data facultate quotidie exigendi usque 00; dierum quatuor, lib. 50.000; pro ; b) computationibus pariter quotidianis, mensium sex; 4 1/2 % si mensium duou 3.60 %, cum facultate quotidie defe lib. 300. De maiore vero summa manes septem usque ad lib. 5000; ad dies

criptiones compensat duarum personasses tres solvendas; idque pro omnibus restium ad formam, iuxta italicam legem provincia requirentibus subvenit; c) in cat sub praesidio fundorum publicorum, privatae; d) litteras emittit ex credito ium maxima aguntur; e) exterios numas res in custodiam accipit, pro iisque dictat; g) res administrat tum consocia- e Nummariae sunt.

IAE,, Sociis

a latine scripta venum dantur,

sculi prandium, Milesiae bea facile agendis. – Singulæ

is novi flores. – Si tegu- ira aureoque titulo, lib. 2,25.

Romam, Actiones drama-

iae, Milesia fabula. – Lib. 1. latinis. – Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

Dum Lutetiae Parisiorum Conventus de pace agitatur

Illi mihi, qui in hoc commentario de tetterimo bello agens, quod divina et humana cuncta per quattuor annos et ultra permiscuit, pacem sum auspicatus iis ful-tam principiis, quorum adsertor et vin-dex primus exstitit Summus Pontifex Be-nedictus XV, liceat hodie, quum de pace coram legatis a plerisque universi orbis gentibus delectis tandem agitur, eadem repetens principia, a Wilsono, Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis Praeside, deinde in canones explicata, qua-que dicuntur in re ipsa concordi animo ab omni populo accepta, vocem et illius viri revocare, qui nuperimum, sive de rebus civilibus, sive de ipsa civitatum constitutiōne, Christianae sapientiae praeclarum imprimis ac prope singulare monumentum exegit. De Leone PP. XIII dico, cuius scripta et orationes ut etiamnunc vehementer commovent, ita maximum praesentium rerum momentum futurarumque initia proculdubio continere apparent. Quis enim illo magis et prius comperit aetatem hanc nostram perturbationibus ac demolitionibus plenam recta ac rapide in suam per-

niciem ituram? ¹ Cui clarius innotuit ci-vilis humanitatis rationem solidis funda-mentis destitui, nisi aeternis, non modo principiis veritatis et immutabilibus recti iustique legibus innitatur, sed etiam nisi hominum voluntates inter se sincera di-lectio devinciat, officiorumque inter eos vices, ac rationes suaviter moderetur? ² Conspirationem itaque voluntatum et agen-dorum similitudinem indesinenter invoca-bat; quod si concordiae gratia necesse es-set, quemquam de sua sententia iudicioque desistere, faceret non invitus, sperata utilitate communi. ³ Iis autem qui scribendo dant operam, quippe ad publicam effor-mandam opinionem maxime conferant, commendabat, ut magnopere studerent in omnibus rebus animorum concordiam con-servare; iidem praeterea quod in com-mune expedit malling, quam quod sibi, et communia copta tuerentur. ⁴ Et alias: «Omnino istud praeceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare litteris, maximeque ephemeredum auctores. In hac quidem de rebus maximis contentione ni-hil est intestinis concertationibus, vel par-

¹ Litt. Encycl. *Inscrutabili*, d. 21 Aprilis 1878.

² Ibidem.

³ Cfr. litt. encycl. *Gallorum gens*, d. 8 Feb. 1884.

⁴ Ibidem.

tiuum studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi contendere, quod est commune omnium propositum, religionem remque publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quadam oblivione conterere: si quid temere, si quid iniuria actum, ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compensandum est mutua caritate ».¹

Quanti, revera, haec monita nostris his diebus habentur?

* * *

Sed proprius rem nostram attingamus.

A legatis, qui novum rerum ordinem sunt hodie constituturi, haec propositi summa expostulatur, nempe ut armorum vi iuris imperium sufficiatur.

Ecquid vero ius? Numne quod genuerunt « illa recentiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbatiobibus superiore saeculo excogitata in mediocore proposita, perinde ac principia et fundamenta novi iuris, quod et fuit ante ignotum et a iure non solum christiano, sed etiam naturali plus una ex parte discrepat»? Atqui « illa omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso non a multitudine repeti opertore; seditionum licentiam cum ratione pugnare; officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus; immoderatam sentiendi sensusque palam iactandi potestatem non esse in civium iuribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam. - Similiter intelligi debet, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et iure perfectam; neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi ser-

vire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quicquam de ceteris iuribus detrahant, quae in ipsam a Iesu Christo collata sunt. - In negotiis autem mixti iuris, maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum caussis proximis congruentem, quae caussae utramque societatem generunt.

« Haec quidem sunt, quae de constitutis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica praecipiuntur. - Quibus tamen dictis decretisque si recte diuidari velit, nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habeant, quod doctrinae catholicae repugnet, eademque possunt, si sapienter adhibeantur et iuste, in optimo statu tueri civitatem. - Immo neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum rei publicae: quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem, sed etiam ad officium pertinere civium. - Insuper neque caussa iusta nascitur, cur Ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus aequo restrictam, aut ei, quae germana et legitima sit, libertati inimicam». ¹ Certe « non potest Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum debitamque potestati legitimae obedientiam exuat». Expedit vero germanam illam libertatem, « quae, si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus tetricis dominis hominem servire non sinit; si publice, civibus sapienter praeest, facultatemque augendorum commodorum large ministrat, remque publicam ab alieno arbitrio defendit... Honestam hanc et homine dignam liber-

tatem Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integrum, eniti et contendere nunquam destitit... Sibi perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitatem cadit, ex altera volens et libens amplectitur res meliores, quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant huius vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuram». ¹

* * *

Hisce legibus positis, novae constituantur ultro nationes, novae gerenda rei publicae formae: ubi enim dominatus premit aut impendeat eiusmodi, qui oppressam iniusta vi teneat civitatem, fas utique est aliam quaerere temperationem reipublicae, in qua agere cum libertate concessum sit; tunc enim non illa expedit immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua, salutis omnium caussa, quaeritur, et hoc unice agitur ut, ubi rerum malorum licentia tribuitur, ibi potestas honeste faciendi ne impediatur. Atque etiam malle reipublicae statum populari temperatum genere - salva, ut par est, doctrina catholica de ortu atque administratione publicae potestatis, iuribusque Ecclesiae integre servatis - non est per se contra officium: ex variis enim reipublicae generibus, modo sint ad consulendum utilitati civium per se idonea ac sine iniuria cuiusquam, nullum quidem respuit Ecclesia.

Neque illud ea damnat, velle gentem suam nemini servire, nec externo, nec domino, si modo fieri incolumi iustitia queat; nec denique eos reprehendit qui efficere volunt, ut civitates suis legibus vivant, civesque sine libertatum intemperantia

quam maxima augendorum commodorum facultate donentur.¹

Neque est dubium quin, iisdem rationibus in usum adductis, adventus haud difficilis pateat societati illi nationum, in qua ad supremum totius humani generis bonum eae omnes amice conspirent; et etiam necessario fiat ut civitas quaeque arma deponere cogatur, neve ulterius validissima pubes ab agrorum cultura, a studiis optimis, a mercaturis, ab artificiis ad militarem vitam indesinenter traducatur, unde quoque exhausta magnis sumptibus aeraria, attritae civitatum opes, afflita fortuna privatorum. Namque « ad fiduciam rerum tranquillarum, parum est cupere, neque satis inest in mera voluntate praesidii. Similique modo ingentes copiae et vis infinita bellici apparatus hostilem impetum continere, ne erumpat, aliquando possunt, quietem parere securam et stabilem non possunt. Immo vero distracta minaciter arma ad alendas sunt quam ad tollendas similitates ac suspiciones aptiora: percellunt animos sollicita expectatione rerum futurarum, atque illud nominatim pariunt incommodi, ut in cervicibus populorum imponantur onera, incertum saepe utrum tolerabiliora bello ». ²

¹ Cfr. Litt. encycl. *De humana libertate*, sub fin.

- In Epistola ad Archiepiscopum Parisiensem, 22 Octobris 1880 legitur: « Procul dubio nullam Ecclesia catholica reprehendit aut improbat formam civitatis; et quae ab ipsa Ecclesia ad communem utilitatem instituta sunt, prospere esse possunt, sive unius sive plurium potestate et iustitia regatur res publica. Sedes autem Apostolica, quae, in variis vicibus flexibusque rerum publicarum, negotia expedita necesse est cum iis qui populo praesunt, hoc vult, hoc spectat unice, rem christianam salvam esse: laedere vero iura imperii, cuiuscumque tandem ea sint, nec vult, nec perille potest. In rebus autem non iniustis parentum eis esse, qui praesunt, conservandi causa ordinis, in quo est publicae fundamentum incolumentatis, nemo dubitat: nec tamen est consequens, obtemperando approbari si quidquam est aut in constitutione aut in administratione civitatis non iustum ».

² Allocutio Nostis errorem, d. 11 Febr. 1889.

¹ Litt. encycl. *Immortale Dei de Civitatum constitutione*, d. 1 Nov. 1885.

¹ Ibidem.

¹ Ibidem.

Itaque - sapiens ille ac pientissimus vir argumentabatur¹ - quaerenda paci fundamenta sunt et firmiora et coniunctiora naturae: propterea quod ius suum vi armisque defendere concessum est non repugnante natura; sed illud natura non patitur, vim esse iuris efficientem caussam. « Quoniam pax tranquillitate ordinis continetur, consequens est ut quemadmodum privatorum, ita et imperiorum concordia in iustitia maxime et caritate nitatur. Violare neminem, alieni iuris vereri sanctitatem, colere fidem benevolentiamque mutuam, perspicuum est vincula concordiae esse firmissima atque immutabilia, quorum adeo pollet virtus, ut vel semina imicitarum atque aemulationis nulla esse patiatur ».²

**

Hanc utique pacem omnes expectamus, hanc appetimus; hanc Parisienses qui nunc congregati sunt populorum feiales matuerent, atque ita perficiant; ut Europa, quod munus plane a Deo sibi assignatum videatur, ut « christianam gentium humanitatem ad omnes terras sensim perferat »,³ magnifice tandem administret. Si unquam fuerit necesse, eo magis nunc, post terrimam quam vidimus et passi sumus cladem, audiamus vocem Supremi Dicis itemque Patris invocantem,⁴ ut pari studio omnes demus operam, quo concordia, quae vetus fuit, communis boni caussa, restituatur. Eiusmodi reconciliandae concordiae, pariterque beneficiis christiana sapientiae late propagandis opportuna maxime, ut Wilsonum ipsum affirmantem nuper Romae audivimus, fluunt tempora. Humanae enim fraternitatis sensa nunquam altius

¹ Ibidem.² Ibidem. Pacis armatae, quae dicitur, pericula et mala Leo XIII singillatim enucleavit in litt. *Praeclarar.*, d. 22 Iunii 1894 Princibus Populisque universis.³ Litt. *Praeclarar.*, sup. mem.⁴ Ibidem.

quam hodie in animos pervasisse nobis videntur, nec unquam homines in nostri similes adtrahi magis fortasse sensimus. O utinam, immensos terrarum marisque tractus celeritate sua incredibili cursus et navigia mox iterum placide transvehantur; neque ad commercia tantummodo curiositatemque ingeniosorum, sed etiam ad verbum Dei ab ortu solis ad occasum late disseminandum!

ROMANUS.

De latina Christianorum lingua¹

Si in antiquissimam divini illius voluminis, quod ad usum vulgi accommodatum *Vulgatae* nomen accepit, originem inquirimus, omnia nubeculis circumfusa obversantur, quamdiu res christiana, in umbratili veluti vita, imperatorum Romanorum invidia stetit crevitque. Ea enim aetate, complures Romani, pro re nata, sacrarum litterarum dulcedine adlecti, aliquot e *Bibliis* commentarios excerpere consueverunt, qui, latino sermone exarati, hanc vel illam divinarum scripturarum partem, in humiliorum praesertim commodum, referabant. Namque hi libri maxime tenuioribus inserviebant, qui, sive in Urbe sive extra, christianam sapientiam professi, graecas litteras ignorarent. Quo facto, brevi post tempore, integrum prope sacrum volumen, paucis tantummodo partibus exceptis, Christianorum manibus ter facillime coeptum est.

Verum haec eadem volumina ceteri late populi, qui ad occidentem spectant, in vulgus ediderunt, quae, suam quodammodo frontem plerumque portententia, aliquantis per inter se se discrepabant. Attamen, tum prae naturali latini eloqui praestantia, tum etiam prae sanctiori sen-

¹ Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXVIII.

sus religione, divinitus excelluit illa apud Romanos interpretatio, quae *Itala* appellata, omnibus adprobatissima fuit. Scribit enim Sanctus Augustinus: « In ipsis autem interpretationibus (*Itala*) ceteris praefatur; nam et verborum tenacior cum perspicuitate sententiae ».

Ne vero in re tam gravi differentes omnino essent in eodem argumento sententiae, opportunum visum fuit, ut Romana Ecclesia, quae Petri magisterio ac praesidio, securius inter fluctuum scopulos homines ad salutem advehere consuevit, peculiari quadam ratione ad rectam divini voluminis interpretationem curaret. Ipsa enim in hac sanctissima sapientiae caellestis custodia, tamquam in specula divinitus collocata, quotidie eo consilio studuit, ut vacuum omni metu hac in re populum christianum redderet. Atque ita sacrum volumen, cura advigilanti Romanorum Pontificum, labentibus annis, immortalis fuit ad scientiam *cella* quaedam *penaria* universae terrae. Quod quidem opportunum fuit, ne forte nimis saeviret animis ignobile vulgus, et facile praeceps in malum pravumque rerum sensum prorueret. Omnibus temporibus, semper adstitit aptissime supra Ecclesiae voluntas, tamquam columna et firmamentum veritatis.

Sed de eloquii castitate, quid dicam?

Ut supra monui, Christianorum magistri, ut rudis multitudinis captui se se accommodarent, a sincera saepe latinitate recedentes, vitiosum quoddam ac sordibus inquinatum dicendi genus advexerant. Nec sane mirum, ipsisque temporibus tantummodo incusandum. Incredibili enim memoratu est, quantopere latini sermonis castitatem labefactarint insolentiora vocabula, aut ex ultima antiquitate repetita, aut graeco fonte putidius derivata, aut ex duabus linguis inepte coalescentia, aut denique a propria in aliam significationem translata. Sic Romanorum sermo in literis profanis. Christiani vero, utpote ab

omnibus humanis rebus alieni, atque a turbulentissimis sua aetatis hominibus abhorrentes, extores, ut ita dicam, in patria tot malis vexata, nihil carius habebant nihilque acceptius, quam rebus sacris studere; cunctisque saeculi libris posthabitis, sacrum volumen nocturna versabant manu, versabant diurna.

At quemadmodum me superius admonere memini, aliquando orientales graecasque origines redolebat et africo quodam colore tinctum videbatur. Tempus me deficiat, si velim de praestantia tanti operis disputare, quod sapientiorum studia exercuit, et portenti simile plerisque Europae populis apparuit.

Sed Christiani, prioribus illis temporibus, quum ad veritates Christi adipiscendas unice respicerent, cetera uti mortalia aspernabantur. Quid enim, - aiebant, - ad nos pertinet, si haec vel illa verba proferuntur, quae minime ad puritatem sermonis spectant, vel unquam « cinctutis non exaudita Cethegis?... Iuvat identidem accedere ad hypogea atque arenaria, ubi urnae martyrum funebris eisdemque suavissimis titulis illustrabantur, et piae quaedam cantiunculae exaudiabantur illo quodam rhythmō conscriptae, quem veteres saturnii versus referrent.

At quum in medium saeculi christiani quarti aetatem attigissent, qua nimirum tempestate, tranquillatis iam animis et Ecclesia late in pace composita, intermortuae Latii musae ad pristinam gloriam adsurrexerunt, tunc divini hominis doctrina per universum orbem diffusa, non mores tantum et instituta, sed una sentiendi loquendique facultatem ad interiores easdemque adhuc intentatas rationes excitavit. Tunc sanctus Hieronymus, Damasi Pontificis Maximi iussu,¹ matronarumque romanarum precibus adactus,

¹ Res miranda admodum et memoratu dignissima. Omnes Pontifices Maximi, praeeunte Damaso, per sin-

quas tunc temporis Marcellorum et Fabiorum gens excultissimas enutriebat, ad sacras orientalium litteras recensendas, latineque vertendas omnem operam suam collocavit.

Hoc maxime animadversione dignum arbitror, Hieronymum enarrationis sacrae parentem, eam omnino veteribus incultam artem instruxisse, quae, gloriola rumoribus posthabitatis, eo tantum spectat, ut retrusas abditasque disciplinas ex obsignatis cancellis caenaculis tunicati popelli et officinis admoveat; eas cum universis opes communicando, quae pauciorum tantum otio inservirent. Quot laboribus, vigiliis, molestiis se obiecerit noster; quo in certamine versatus sit, quum in latine flectendis vocabulis elaboraret, nullam sane immutationem ferentibus; quod, inquam, certamen in se ipse suscepit, qui totus in novo sermone consarcinando, Plauti tamen multo illecebris antiquioribus invitus detineretur, seque Ciceronianum vel in quiete culparet, tute cognosces, candide lector, ex eius epistolis ad Pammachium, Paullinum, aliosque.

Etenim tantum non Minucii Felicis, Lactantii, Hilarii ceterorumque vestigia pressit, qui Tullianam quamdam amplitudinem aut Quintilianeam ubertatem referentes, fortissimis hastis ab inimico de promptis in absurdas civitatis religiones decertabant. Quo factum est, ut omnes acerrimi ingenii viri ad illos unice responentes, Christianorum aevum quoddam aureum concinnaverint, quod a Christo nato quartum aestimare non dubitamus.

(Ad proximum numerum)

I. B. FRANCESIA.

gulas aetates, usque ad Leonem XIII, qui, nostris temporibus, latinarum elegantiarum arbiter diu salutabatur, germanum Romanorum eloquium in scholis et apud populos verbis scriptisque foverunt. Hoc unum tamen fuit studium, haec suprema religio, ne in litteris latinis evolvendis,

*Aut nimium teneris iuvenentur versibus omnes,
Aut immunda crepant ignominiosaque verba.*

VIRGO GUADALUPENSIS

Cum sol fulgenti lustraret lampade terras,
Didacus, Indorum caelo gratissimus unus,
Aztecae veterem gentis contendit ad urbem.
At subito medias caelo delapsa per auras
Deipara, altis os, humerosque simillima divis,
Visa sibi ante oculos. Haec quid miracula

[ferrent]

Inscius, ancipiti mentem formidine pressus
Obstupet. Interea Virgo sic ore locuta:
« Pectora solve metu, iuvenis dulcissime re-

[rum,

Indorum et decoris tu spes fidissima nostri,
Carpe viam rursus celeri per devia gressu,
Nate, interque lacus, sibi quos circumdedit

[alta]

Mexigenum quondam soboles, pete sacra fe-

[rentem]

Pontificem: verax olli visa omnia pande».
Haec effata abiit, tenuesque recessit in auras.
Pergit et aspiciens orientia lumina solis
Ingreditur muros puer; et iam tecta subibat
Pontificis. Portenta illi remque ordine promit.
Haud habita indigenae fiducia, at arguit ipsum
Antistes prohibetque aditu nisi certa revertens
Signa ferat. Iuvenis suffundens ora rubore
Zumarage tectum confestim urbemque re-

[linquit.

Collis erat, Tepecam dicunt, durissima cautes
Iuxta iter, herbarum nudus, carentibus alte
Saxis: hic iterum mira dulcedine vultus
Indus perfusam, radiisque nitentibus ora
Deiparam cernit, lacrymisque affatur obortis,
Pontificis queritur dicta et spe decidit omni.

Ad quem tum Virgo properans his vocibus

[usa est:

« Didace, nota fides mihi, dudum et cognitus
ardor,

Qui tua pervasit caelesti lumine corda.

Nunc age: nunc propora sterilem consendere

[montem,

Inque latus teneris quod nunquam floruit

[herbis,

Aut ubi nullus pes unquam pecudumque,
[hominumque
Constitit, invenies florem atque arbusta rosa-

[rum.

Collige cum foliis viridi de gramine flores;
Hos videat magnus qui sedit in urbe sa-

[cerdos».

Exit continuo iuvenis, perque invia quaerens
Flores saxa inter cernit, mirabile dictu,
Spectandum foliis arbustum et odore rosarum:
Colligit, intentusque rosis sua pallia complet.
Urbem iterum velox, iterumque palatia quaerit
Zumaragae visum narrat floresque recondit,
Quos duro in scopulo atque nova collegerat

[arte.

At simul evolvens pauperrime pallia felix.
Agricola, oh! visum, formosa in imagine

[vultum

Virginis aspergit, Tepecae quam viderat oris.
Obstupuit sacra antistes formidine captus
Et simul ingenti pectus percussus amore
Deiparae frontem supplex et numen adorat.
O fortunatum nimium, qui primus honores

[renti

Mexigenum agrorum dominae, populique pa-

[renti

Reddere continuo potuit iussitque per urbes!
Haec olim reges una certare videbit

Et populum sponte audentem, iuvenesque

[patresque,

Ut multo donent argenti pondere et auri
Atque novo condant magnum de marmore

[templum.

Haec galea, haee clypeus, nostris haec gen-

[tibus arma,

Haec certum auxilium et rebus solamen in

[arctis.

Sive tremor terras, solis sub luce maligna,
Concutit, aut magno miscetur murmure pon-

[tus,

Sive lues animantium inficit corpora tabo,
Haec spes afflictis, requies haec certa labo-

[rum,

Indorumque parens precibus iam assueta vo-

[cari.

PETRUS SPINA, S. I.

NOVIS REBUS NOVA VERBA

A clarissimo socio nostro Annemundo Simano, S. Baldomeri ex oppido in Gallia provincia Ligeris, una cum pretio annuae subnotationis, litteras quae sequuntur accepimus; easque operae premium duximus in vulgus edere, hac prae-cessim de causa, quia sapienter argumentum attingant, quod magnopere nobis cordi est. De benevolentissimis autem verbis, quibus ille opus nostrum, quodcumque est, prosequitur, publicas ei gratias et habemus et referimus.

Almae Romae commentarium maxim facio, eiusque lectione ita laetor, ut nihil magis. Mihi autem potissimum probatur sententia omnino certa, qua contenditur omnia, vel a latinis aureae aetatis prorsus ignota nuperque inventa, latino sermone commodissime dici posse. Neque enim, quia de iis nihil apud Tullium invenitur, Tullius haec vocabula respusisset, modo ab indole ac natura ingenii Romani non abhorrent. Qua in re ipse viam satis indicasse mihi videtur, quum «nova vocabula novis rebus» danda esse dixit. At non temere nullove consilio eligendum est vocabulum, sed ratione atque latinorum scriptorum auctoritate probandum. Sic vocabulum nova significatione usurpes a priore parce detorta, ut aiunt; aut sensu metaphorico; item licet e Graecis mutuari, sive latinis reddendo litteris, sive etiam graecis, quod Ciceroni satis est familiare; descriptiones etiam seu periphrases ad rem persaepe faciunt; sed, mea quidem sententia, eligendae sunt uno alterove vocabulo constantes, certo perpaucis, ut res accurate breviterque significetur. Quo in casu res a praecipuis, ut istud dicam, est notanda lineamentis magisque propriis, aut ab effectu, aut ab originis loco aliisve similibus; deinde multorum usu scripto-

rum vocabulum civitatem aequo iure consequetur.

Sed quid ad te istae meae lucubrations? Istuc sum adductus ea, quam ex *Alma Roma*, voluptatem cepi.

Cui quidem et tibi optima et faustissima ominor in Deo et adprecor, ut quidquid optes; tibi tuisque obtineas et assequaris. Vale.

COMMUNIA VITAE

De salutatoriis formulis.

Tradito mihi munere hoc anno in nostro commentario de communibus vitae ita scribendi, ut formulas deferrem, quibus de praecipuis rebus ad vitam spectantibus latine dici posset, sponte mihi facile occurrit ut a salutationibus exordium caparem. Nonne est enim salutatio colloquiuum omnium initium; et etiam finis?

Atqui salutandi formulae tribus, plus minusve, in verbis versantur: Ave - Salve - Vale.

Ave, quod Seneca vulgare appellat et publicum verbum et promiscuum ignotis, ex hebraico fonte, videtur significare *vive*; ac praecipue in matutinis salutationibus amicorum et clientum adhibebatur; nam in vespertinis, quasi nocturna dimissio, *vale*.¹ Non mirum igitur si *vale* mortuis etiam, quum extremus illis commeatus daretur, dicebant; quamquam et *ave* pro iis quoque invenimus, subaudiendo scilicet: in perpetuum, inter beatos, aeternam vitam (*vive*), et similia. Neque ex re erit festivam illam ambiguitatem usus huius verbi a Suetonio (*Claud.*, XXI) referre, ubi narrat, commissa a Claudio naumachia, quum naumachiarii ante pugnam

proclamassent: «Ave, Imperator: morituri te salutant», isque respondisset: «Avete vos», recusasse illos post hanc vocem dimicare, putantes se ab eo esse dimisso, venia pugnandi data. Sed Claudius ad morem salutandi mortuos resperxerat, illisque pugnae ac morti proximis dixerat: «Avete vos!». Ex quibus etiam colligitur, non solum accedenti alicui *ave* dicere morem fuisse, sed etiam discedenti.

Salve tamquam adverbium ab adiectivo *salvus* considerari potest; quo in casu interpretari datur: «cum salute, integre, recte, commode»; aut imperativum verbi *salveo*, hoc est: «salvus sis»; quod proprius videtur quum advenientem salutamus.

Vale denique, a verbo *valeo*, idem est ac «sanus, sive incolmis esto». Hac voce utimur in discessu, - (itaque in fine epistolarum) - vel quum remeantes respondemus abeundi. Differt a *salve*, quod *salve* maius quidquam significare videtur, vel quod *vale* ad corpus referatur, *salve* ad pericula et mala externa;¹ unde Cicero (*Fam.*, XVI, 4): «Vale mi Tiro, vale et salve».

**

Quibus positis, recta ad rem accedamus; addemusque ex opportunitate responsiones; quas ita constituemus, ut literae. *Resp.* iis praecedant.

I. - Occursanti salutatio:

Ave - *Aveto*.

Ave, Cai - *Ave domina* (dominula). *Salve* - *Salveto* - *Salvere te iubeo*. *O mi vir!* (ohel!) *salve* (*salveto*, etc.). *Salve*, domine. - *Salvete*, viri optimi (amplissimi, carissimi). - *Salve multum*, exoptatissime mihi.

Salvete, foeminae spectatissimae.

¹ SULT., Galb., IV

¹ FORCELLINI, Lex., vocab. *Vale*.

Salvus (*salva*) sis. - *Salvus* ac fortunatus semper sis; quid istic?

Salvum te volo, Cai.

Salve etiam atque etiam, o rerum dulcissime.

Salutem tibi dico. - *Multam tibi salutem impertio*.

Eccum te, optime Cai.

Deus te amet, optime Cai. - *Bene tibi sit, o rerum dulcissime*.

Resp. - *Salve* (*salveto*) et tu - *Salve tantundem tu, o rerum dulcissime* (o carissime, etc.).

II. - Invisenti salutatio.

Salvum te advenire (advenisse) *gaudeo*. *Venire te salvum volupe est*.

Carus omnibus exspectatusque venis.

Adventus hic tuus suavissimus (optatissimus, incundissimus) *profecto*.

Opportune venis.

III. - Salutatio commissa.

Salvere te Caius iubet. - *Salvere te iubet Caius* meo nomine. - *Salvebis a Caio nostro*. - *Multum tibi salutis impertit Caius*.

Caius voluit me tibi multam salutem dicere.

Iussit me Caius multam tibi salutem dicere.

Resh. - *Salvus sit optimus et ille noster*. *Et Caium iubebis meo nomine salvere plurimum*.

Caium item mea causa tu diligenter salutabis.

Officiose cum verbis meis salutem redas Caio. - *Nuntia et Caio salutem verbis meis*. - *Multam et Caio salutem a me impertias*.

Quia a te Caius mihi salutem dixit, tantundem ei redde a me.

Multam (plurimam) *salutem dices* (referes, velim dicas) *Caio* (patri, matri, uxori, liberis tuis).

Salutem Caio. - *Dic, quaeso, salutem Caio* (patri, etc.). - *Salutem dico Caio* et si quem alium mihi benevolentem videris. - *Salutem quibus videbitur, praecipue Caio* - *Communibus amicis a me multam salutem*.

Caium (patrem, etc.) *salvere plurimum iubeo*. - *Caium* (patrem, etc.) *te velim salvere*. - *Iubebis meo nomine salvere Caium*.

Si Caio scribas, salutem meo nomine ei adscribas velim. - *Caio meis verbis salutem adscribe*.

Tu me Caio magnopere commendato. - *Fac me Caio quam commendatissimum facias*.

Ex me Caium salutato. - *Saluta meis verbis Caium*.

IV. - Salutationes inter pocula.

Dato singulis plena potoria: propinabo (bibam) enim Caio.

Propino salutem tibi, Cai. - *Plenum tibi propino, Cai*.

Tollite (efferte) pocula; propinamus salutem Caio.

Collidamus scyphos (pocula) salutem propinando Caio.

Iam exhauriamus pocula, propinantes Caio.

Exsorbebo quod reliquum est ad salutem Caii.

Bene te! - *Bene tibi (vertat)*!

Sit saluti! - *Sit tibi bonum atque commodum!*

Praesens praesenti valeas, vivas adclamo.

Prosit!

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

Nemo adeo ferus est, qui non mitescere possit, Si modo culturae patienter comodet aurem.

HORATIUS, Epist. I.

EX ITALIS URBIBUS

Woodrowius Wilson
Augustam Taurinorum invisit.

Et ego supremum Americanae septentrionalis reipublicae moderatorem, nuper, Augustae Taurinorum feliciter ovanteque salutavi. Ipse enim ex America, quiescentibus undique armis, profectus, ac peragratis praecipuis Europae civitatibus, Italiae pulcritudines visurus, magnis itineribus Romam perrexit, ubi summa veneratione atque honore Benedictum XV P. Max., uti sibi proposuerat, etiam adire potuit.

Hisce diebus, uti iocose, more suo, Arpinates suis civibus gloriantes, Tullius describit: «In quemcumque Arpinatem incideris, tibi aliquid erit de me, aliquid de C. Mario audiendum», ita propemodum, in quemcumque forte incidisses, aliquid de Wilson, aliquid de Wilsoniana sententia, velis nolis, ad satietatem audivisses.

Dolendum sane, quod clarissimus vir, ceteroquin doctissimus et iuris civilis in primis peritus, quodque in Magno Civitatis suae Athenaeo, omnium iudicio, mirum in modum ac scientissime tradit, unum tantum sermonem, eumdemque Anglicum suum, loquatur. Quo pacto, per interpres est semper apud nos publice privatimque locutus. Hunc loquendi morem gessit, quum supremus Magni nostri Athenaei magister, adprobantibus omnium disciplinarum professoribus, opportunitatem nactus, aliarumque civitatum exemplum secutus, Excellentissimum Virum, honoris gratia sollemnibusque ceraemoniis, inter doctores inscripsit. Et Hector Stampini, egregius latinarum elegantiarum cultor, qui apud nos haud ingloriose romanis litteras tradit, in eius laudem

atque admirationem satis prolixam scriptionem edidit.

Neque Archiepiscopus noster itemque Cardinalis, Augustinus Richelmy, magnum hospitem compellare omisit: Excellentissime Vir, — inquit — non sit Tibi grave, si Ego, Dei pacis administer, Tecum admodum laeter atque gratuler, quod Ipse Te suasorem pacis inter populos elegerit; et si civis Taurinensis, quod curis omnibus posthabitis laboribusque, Urbem meam natalem praesentia atque alloquo comis honestare volueris. Ac propterea ut hilari vultu accipias rogo atque obtestor, quas ego Tibi amplissimas ago gratias, omniaque fausta Tibi et Familiae, etiam atque etiam a Deo adprecer».

Hisce aptissimis verbis, gravioribusque illis, quae Collegae doctores ei ultiro dixerunt, quam probe, quam opportune si vel latine respondisset!

Insuper et doleo, quod nostri indigne tacuisserint, Carolum Botta, immortalem municipem meum atque illustrem huiusc civitatis alumnum, abhinc centum annos, primum Liviana abundantia, amore atque admiratione, esse historice prosequutum Americanos, qui, ea aetate, se se a patriae servitute in libertatem vindicarent. Et extranei, in grati animi signum, civi benemerenti statuam aere consectam posuerunt.

Ut cetera praetermittam, ad illum redeo, qui omnium sermone, ut restitutor felicium saeculorum salutatur, qui incredibili populorum laetitia invehitur, qui insuper antiquae virtutis imaginem exprimit, et apud suos eloquentissimus habetur, atque tamen silentio inter nos. quodammodo pertransiit.

Eum rogare audeo, ut ad suos regres sus, velit in scholis, pro communi popu lorum commercio, linguam latinam, vel practice et in rebus domesticis, cives usurpent ad peregrinantium modo utilitatem!

SUBALPINUS.

ANNALES

Parisiensis de pace conventus.

Postquam Woodrowius Wilson, Foe deratarum Septentrionalis Americae Civitatum Praeses, Romam, Genuam, Mediolanum, Augustamque Taurinorum Italas urbes visitavit, optimis, ut par erat, officiis acceptus, atque Summum Catholicae Ecclesiae Pontificem addivit, Lutetiam Parisiorum quum esset reversus, eadem die xviii mens. Ianuarii, iisdemque in aedibus ubi duodequinquaginta ante annis Gu lielmus I, Teutonum Caesar, triumphantium more Germaniae Imperatorem sese dixerat, initium factum est conventui, qui, post Teutonicam recentem cladem, futurum Europae statum iuxta populorum desideria erit compositurus. Ei Clemenceau, Gallicorum administratorum primus, est praepositus; legatusque de quaestio nibus, quae sequuntur, in sessionibus huc usque habitis meditati sunt:

I. — *De Russia.* — Russorum civitas, quippe quae in tot partes ac factiones divisa, quarum nulla populi procuratrix iure considerari potest, in Parisiensem Conventum hunc haud est recepta. Quum autem de Europae pace statuere nihil licuerit, nisi prius de Russorum interna quiete constiterit, rogatum est ut pars quaque, cui species alicuius disciplinae sit, ad Principum Propontidis insulam aliquot legatos mittat, qui cum Parisiensis conventus legatione sint disceptaturi, unaque cum ea rationem requirant, per quam Russicae res in melius restituantur.

II. — *De Polonia.* — Polonica gens, in libertatem iterum vindicata, ab hostibus undeque urgetur: a Russicis hinc «bolscevikis» et Ucrainis, inde a Slovachis, sive Teutonibus sive Czebris. Insuper societatem quandam cum Germania inivisse dicendum est, eoque magis, posteaquam,

post recentes in Posnaniam incursiones, induciae cum ea factae sunt. Et illuc igitur Parisiensis conventus legati mittentur, qui rerum statum sine praeiudicata opinione suis oculis videant, proindeque pro opportunitate referant.

III. — *De Nationum Societate.* — De spe hac omnium gentium Wilsonus diserte est loquutus, consilia proferens quae, iuxta mentem suam, rem ad exitum facilius sint perductura; legatorumque manipulus delectus est, qui ea examinet atque perficiat.

IV. — *De Teutonum coloniis.* — Autore quoque Wilsono, de difficile ac salebroso arguento prudenter cautum est, ut, Nationum societatis nomine quae Lutetiam Parisiorum coiverunt, earum coloniarum incolae qui periti satis ad rem iudicabuntur, regionis suae administracionem exerceant; reliquis una vel altera natio pro tempore ad eam delegabitur.

**

Russicae atque Germanicae res.

Dum omnes anxio animo exspectant an Russicae factiones Parisiensi invitationi, de qua superius mentionem fecimus, morem gerant, ipsae in civili bello perdurant, ancipiti sorte. Si enim «bolsceviki» illi perm in regione cruentam patiuntur cladem; nec magis prospere suas res procedere vident in Finlandia, ad Kuna flu men in Caucasica regione, atque in Estonia; ex adverso ad spem eventus iis respondent ad septem Caspii maris triones et in Archangeli regione, ubi consociatis ex Europa agminibus illuc missis retro cedere convenient.

In Germania, contra, effrenatis seditionis, qui gubernio potiri non sine sanguinis effusione conati sunt, civium pleisque acriter obversantur. Itaque haud mirum est si primorum plebis concitatorum internecio, Liebknecht scilicet et

Rosae Luxembourg, animos non ita inflammaverit ut ad strages ac ruinas deveniretur, ac si comitia iis favorabilia maxime cesserint, qui in ordinis finibus novum rei publicae statum propugnarent.

**

Argentinenses et Lusitani motus.

Ab Argentina republica accepimus, ex operariorum omnium a laboribus desperatione magnos factos fuisse tumultus, quos per vim sedare oportuit.

Ex Lusitania autem, in urbe Oporto contra populare imperium multitudinem insurrexisse atque, regia dominatione vindicata, ad huius favorem evulgandum in armis Ulyssiponem versus fuisse progressam. Hinc conflictationes inter duas partes, quae nondum intermissae nunciantur.

**

Regia funera.

In Anglia, die XVIII Ianuarii, diutino morbo confectus, vita functus est Ioannes princeps, adolescens, regis filius minor natu.

Kal. Februarii MCMXIX.

POPULICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

Fuit qui, mensarum ordinem in superiore fasciculo relatum quum legisset, humanissime me rogavit nonne intermissum morem resumerem, atque menstruum prandium in his paginis essem iterum propositurus. Facerem, si vellem Tantalicum quoddam supplicium vobis, fidelissimis meis lectoribus, malam gratiam reddendo, comparare. Dum enim tesserae annonariae tempus perdurat, quomodo descripta iuscella confeceritis? Nec quisquam, nec ipsi vos, puto, fumo pro asso con-

tenti sumus. Ad feliciorem igitur tempestatem, quam proxime venturam praenunciant et ominamur, capitulum illum delegemus, eiusque vice cancellis nos circumscribentes, quibus reapse coercemur, et morem iis gerentes, qui de cibis quoque cibariisque amant a nobis in hisce paginis tractari, paulum temporis hodie dedamus alimentis, quibus maxime vesci cogimur. Absit tamen suspicio, querulum me de hodierno rerum statu murmurare: homo frugi, tempori facile servio. Profecto, satis est si vivimus; carpamus diem, consolemurque nos si praecipua saltem vitae nutrimenta nobis suppeditentur: *panis, lac, caseus...*

Si enim vocabulum *panis* circa etymon prospexerimus, facile erit persuasum, ipsum unice sufficere nobis debere. Nonne τάν idem atque *omne* Graece sonat? Sit igitur etiam *cibarius*, scilicet nec delicatus, quippe ad cibum servis dabatur; sit *fermentarius*, hoc est fermentis confectus; vel, e contra, *azymus*, sincerus, fermentis carens; sit *acrizymus*, quasi *acroazymus*, nempe fermentatus leviter; sit *siliagineus* (*siliagineum*, genus tritici, omnes praecipue hodie norunt); et *focaticus*, et in cinere coctus et reversatus – (*subcinericum* veteres appellabant) –; nec tantum unice coctus, sed *biscoctus*, *recoctus*, *rubitidus*, *rubefactus*, vel non; dummodo sit esculentus et ad vescendum et aliquo modo sustentandum aptus, praeterea non quaero, mea sorte contentus.

De lacte sufficiat id esse album; consonum et ipsum cum origine vocis, quae a Graeca fonte pariter manavit. « Graeci enim – scripsit Isidorus (*Orig.*, lib. XX), – album λαγόν dicunt; lac vero et sanguis quod nutrit et quod nutritur » Habeam lac novum, quod *colustrum* Latini dicebant, vel in clausis pyxidibus densatum, ex Americis maxime nobis nunc inventum; habeam *quactum*, hoc est quasi coactum et coagulatum; vel pressi copiam lactis, quod caseum vulgo appellamus, fortasse quia sero careat, acquiesco pariter et ambabus manibus pludo.

Nonne et vos mecum?

Ceterum quidquid a vobis erit, hoc in primis tenete **de cibis praeceptum** quod aiunt medici et qui de humanorum corporum naturis scripsere, praincipue Galenus: puerorum et iuvenum, ac perfectae aetatis virorum mulierumque corpora calore fervere, et noxios esse iis aetatibus cibos, qui calorem augent; sanitati conduce frigida quaeque in esum sumere; sicut contrario senibus, qui pituita laborant et frigore, calidos cibos et vina vetera prodesse.

Itaque bene nobis, bene vobis!

**

Sed ad seria transeamus.

Clarissimus vir Felix Ramorino, doctor litteris tradendis in athenaeo florentino, pro sua humanitate, exemplar ad me misit dedicationis, quam membranae inscripsit Woodrovio Wilson oblatae, ad significandum ipsum et eiusdem athenaei doctorem ad honorem fuisse renunciatum. Operae pretium est ut eam cum illorum corona, qui me audire soliti sunt, communicem:

« Nomine Victori Emanuelis III; Dei gratia et Populi voluntate Italiae Regis,

Praefectus Regii Athenaei Florentini,

Quod amplissimus Ordo Philologorum et Philosophorum ibi docentium tertio Kal. Iul. anni MCMXVIII verba fecit:

WOODROW WILSON

virum praeclarissimum, qui, postquam dōcendo scribendoque Egregii Praestantisque Rerum Humanarum Studiosi atque Scriptoris famam assecutus erat, Praeses factus Civitatum in Septentrionali America Foederatarum, auspiciis magni illius liberique populi, toti Orbi Terrarum libertatis iustitiae humanitatisque Vindex pervicacissimus et acceptissimus exstitit Praeco, Talem Virum honore Laureae honestandum esse et Doctorem Litterarum et Philosophiae creandum, deque ea re ad unum omnes ita censuere;

Quod Illustrissimus « Genuae Dux, Regis vices gerens », hanc sententiam vi Idus Aug. eiusdem anni regali consensu probavit confirmavitque;

hoc diploma obsignandum tradendumque curavit, quo

Prof. WOODROW WILSON

Litterarum et Philosophiae Doctor honoris causa in R. Athenaeo Florentino renuntiatur. Datum Florentiae III Id. Nov. anni MCMXVIII.

Decanus Ordinis Philol. et Philos.

PIUS RAJNA

Praefectus Athenaei

PHILIPPUS TORRIGIANI

Ab Actis

ODDO MARINI

Quod felix, bonum faustumque siet!

**

loci.

In via.

– O quantus harum aedium splendor!
Ecquis dixerit eas sanguine, lacrimis ac doloribus miserorum fuisse exstructas?

– An a viro usuram exercente?
– Apage; ab odontoiatra!

Tuccius asinum in campo conduce, saepe ac sonore rudentem. Ei obviam occurrit pagi magister choralis, qui:

– O quam pulcre, – exclamat cachinnans
– bene, recte cantat iste frater tuus!
Cui Tuccius prompte:
– Hercle! Tuae scholae fuit alumnus.

**

Aenigmata.

I

Cornibus ablatis, mutilum ne despice brutum.
Quid sim, quid valeam, dicere quis valeat?

II

Utraque totius pars sibilat; utraque serpit.
Est totum sine quo vivere nemo potest.
(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] Fausta omnia; 2] Num-en).

IOSFOR.

LIBRORUM RECENSIO

Inter libellos, quos superiore mense dono nos accepisse declaravimus, duo sunt carmina latina, quae breviter recensere iuvat.

Alterum, quod auctor Franciscus Quattrone, canonicus Rheiensis apud Calabros, graece inscripsit **Tomarmorimon** (*Tὸ ημέρα μόριου*, i. e. Dies fatalis) agit de immensi terrae marisque motu, quo ante decennium urbs Rhegium eversa fuit cum strage immensa incolarum. Cladem hanc poëta graviter versibus Vergilianis CCLXXXV depingit, atris utens coloribus, quales lugubre argumentum poscebant. Praemissa antiqua origine et pulcherrimo urbis situ in conspectu Trinacriae, nec eheu! longe ab ignivoma Aetna, sic et tempus notat et horrorem describit ruinarum ac caedium:

Bis decimi octavus saecli currebat in orbem annus, mense hiemis primo iam abeunte Decembri, quum mane Insontum Puerorum sanguine sacro, dum fessos hominum lentes sopor inrigat artus, ingentem penitus bombum dant viscera terrae, luxque calorque simul vicinā emittitur Aetnā. Terra tremit, qualis pinus quum nutat in undis indeque subsultat; postes murique labascunt, tecta recussa cadunt, magno strepitante tumultu; opprimit et parvo momento labilis horae millia multa hominum praeeeps convulsa ruina.

Tum poëta varias excidii graphice depingit scenas, quarum ipse testis fuit; audire tibi videris gemitus sepulchorum et lamenta superstitionis, ac cernere oppressa ruinis cadavera incolarum, conatusque sospitum sive civium, sive advenarum, miseris opem afferentium. Carmen tandem absolvitur laeta spe fore, ut diruta urbs rursus e suo sepulcro exsurget, ac pristinum decorum redintegret, vel etiam exsuperet.

Alterum carmen, cui nomen **Luciolus**, composit Antonius Faverzani, idem ille poëta, cui ante biennium, ob suum *Aviae Lychnum* in certamine Hoeufftiano praemium aureum adiudicatum fuit. Eius *Luciolus* puer est sexennis, cuius pater in mari Adriatico bellum gerebat inter Italos classiarios. Vivax

puer et alacer, post patrem et genitricem, nihil carius habet quam ingentem canem domesticum, cui nomen « *Fidus* », ac naviculas chartaceas, quas ei mater confecerat. Has gaudet puer, futurus et ille navita, mari imponere, nempe labro satis ampio, quod mater impleverat aqua. Quae tum gaudia puelli! Quum, uti cantat Faverzanius,

*Parvus in exundans deducit navita labrum
classem, quae labens innatam amne levis.
Exsultatque tuens; prope stat, nec lumen ab illo
“Fidus”, detorquet, verbaque lumen habet.*

Quae gaudia multa maiora fuerunt, quum a matre dono accipit, parvula dona, duos lembos

*automatos, alter quorum vel subnatat undis
et navem reddit, quam freta cuncta pavent;
alter, quem thorax tegit impenetrabilis armis,
exsuperat fluctus, aequora summa legit.*

Ecce autem imprudens puer, ancillam fallens, ad stagnum proximi nemoris cum naviculis accurrit, puppesque vado committit,

*quas ubi conspexit vitreos infindere sulcos,
impletivit laetis vocibus omne nemus.*

Quum vero retrahere vellet lintriculos, forte funiculus eius e digitis elabitur.

*Protinus incumbit, dextra comprehendere tendens;
sed subito lapsat, volvitur inque lacum.*

Vigil tamen aderat « *Fidus* », qui ut labentem in aquas

*vidit, praecipitem . . . se mittit in undas,
ac veste arrepta, dente reducit herum.*

Pauci, quos hic exscripsimus, versiculi e distichis LXII, satis lectori ostendunt, quam facilis ac nitida fluat Faverzani narratio, Ovidianamque referat gratiam.

Auctor hoc carmen *Almae Romae* Moderatori miserat, cum eleganti dedicatione versibus hendecasyllabis concinnata, de qua gratia ei ex animo persolvitur.

FRANC. X. REUSS.

JOSEPHUS Dr. FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.